



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

II. Synodi ad Teudonis villam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

## TITVLVS II.

## Synodi ad Teudonis villam.

SEQVNTVR CAPITVLA QVÆ ACTA SVNT  
in synodo secus Teudonis villam habita, in loco qui dicitur Iudicium, quando  
tres fratres gloriosi Principes, Hlotharius videlicet, Hludouicus, & Karolus,  
simul conuenerunt anno quinto regni Karoli. cui synodo Drogo Mettensis Epif-  
copus praesedit consensu eorundem Regum. quæ & ipsi Principes ante se fideles-  
que eorum relecta capitula adprobauerunt, & se eadem seruaturos auxiliante  
Domino promiserunt, mense Octobrio, Indictione septima.

**N**avis sanctæ Ecclesiæ ab exordio suo variis sæpe perturbationibus  
merfa, sed excitato fidelium precibus gubernatore suo Christo  
nunquam est usquequaque demersa. Quæ quondam etiam, ut nunc vi-  
detur, penè conlapsa, progenitorum vestrorum studio & devotione est  
auctore Deo iuxta modum diuinitus concessum recuperata. Vnde im-  
mensas Domino Deo nostro laudes referimus, qui & corda vestra ad in-  
tentionem similem excitavit, & post vestigia patrum vestrorum, quibus  
per temporale regnum ad æternum perveniatis, ire velle docuit & in-  
spiravit. Vestræ nihilominus nobilissimæ dominationi multimodas gra-  
tiarum actiones rependimus, quia ad evitandum & vestrum & nostrum  
periculum, & ad communem totiùsque populi providendam salvatio-  
nem, bonam & beneplacitam Dei voluntatem subsequi, & divinum con-  
siliium, secundum præceptum Domini quo dicitur *Interroga sacerdotes le-  
gem meam, &* *Interroga patres tuos & adnunciabunt tibi, à nobis, quam-  
quam indignis, Christi tamen Vicariis, quærere & benigna devotione  
velut revera ex ore ipsius Dei expectare dignamini. Quod humilitatis  
vestræ supernum donum sancta Ecclesia cum tanto gaudio suscipit ut de  
vobis etiam in consolatione sua sibi dictum à Domino aptare velit: Pro  
patribus tuis nati sunt tibi filij. id est, pro justorum progenitoribus, qui te  
paterno affectu ditaverunt & ampliaverunt ac coluerunt, nati sunt tibi  
isti filij, qui in te & paterna munera resarciant, recuperent, & conser-  
vent, & te fideli devotione, ut bonæ indolis adolescentes, me super eos  
intendente, eisque manum solatij porrigente, tueantur & excolant.*

Aggri 2.  
Deut. 32.

Psal. 44

## CAP. I.

**H**is ita præmissis, nobilissimi Domini,  
ut cum pace vestra dicamus, quia  
constat hanc sanctam Ecclesiam sanguine  
Christi redemptam, & prædecessorum  
vestrorum multo labore reintegratam ac  
adunatam atque gubernatam, vestra dis-  
cordia esse discissam & perturbatam atque  
afflictam, videtur nobis, si & in præsentem  
feliciter regnare & in futuro cupitis esse

salvi, & ab hac eadem Ecclesia vobis ad  
gubernandum commissa, pro qua ex mi-  
nisterio regali reddituri estis Regi Regum  
rationem in die iudicij, tam multiplices ac  
perniciosas corruptionis pestilentias vultis  
amovere, & vigorem regum ac seniore  
& super vestros & super impugnantes po-  
testatem vestram optatis habere, carita-  
tem illam quam Apostolus docuit, de  
corde puro & conscientia bona & fide non 1. Tim. 1.



ficta inter vos studete habere, & quia sic habearis, & fidelibus & infidelibus vestris omni virtute & puritate curate manifestare, sicut Dominus docuit dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quae non tantum verbo & lingua, sed potius remota quolibet modo omni occulta nocendi machinatione, aut, quod absit, aliena à caritate aperta impugnatione, quocumque quis indiget, pro viribus vero consilio & prompto auxilio ab altero adjuvetur, quoniam scriptum est: *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Et ita in populum vobis commendatum, pro ista quae hactenus operante per membra sua diabolo versata est discordia, pacem illam disseminate quam Christus in caelum ascendens fidelibus suis munere magno reliquit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, sine qua nemo videbit Deum.*

**I I.**

Quia bene postis ab illo qui solus merito & Rex & Sacerdos fieri potuit ita Ecclesiam dispositam esse ut pontificali auctoritate & regali potestate gubernetur, & scriptum esse liquidò pervidetis, *Vbi non est gubernator, populus corrumpit, & tanto periculosius quanto anima plus est pretiosa quam corpus, canonum etiam inrefragabilis auctoritas super Episcoporum ordinatione & in populi ad custodiendum suscepti vigilantia ac sedium suarum tenaci stabilitate evidentissimè præcipiat, ferventissimè Dei legatione fungentes monemus ut sedes quae vestra discordia ulterius nec nominanda sine sacro episcopali ministerio & sine Episcopis viduate manent, submota funditus peste simoniacae hæreseos, sine dilatione, juxta auctoritatem canonicam, aut Episcopos à Deo datos & à vobis regulariter designatos & gratia sancti Spiritus consecratos accipiant, aut quae suis Episcopis quacunq; occasione private sunt, canonicè eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipiant.*

**I I I.**

Sacrum quoque monasticum ordinem à Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis patribus excultum, atque per istud imperium à vestris pie memorie prædecessoribus propagatum, & quaedam etiam loca specialius venerabilia contra omnem auctoritatem & rationem ac patrum vestrorum seu Regum præcedentium consuetudinem laicorum curæ & potestati in ma-

ximo vestro periculo & illorum perditione & Dei ac sanctorum non modica ad irascendum provocatione vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissimè obsecramus ut tam magnam offensam & justam reprehensionem atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem ab animabus vestris & à felicitate regni vestri pellatis, & loca venerabilia & habitum ac ordinem sacrum eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali & ecclesiastico vel monastico ordine religiosi, seu & in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, & in schola Christi eruditis, ad custodiendum & providendum committatis, qui & quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Caesaris Caesari reddant. Qui si minus perfectè & in divina religione & in reipublica utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum substituuntur, & non propter pravorum nequitiam ordo religionis & loca sacratissima eis quibus licitum non est committantur, cum manifestissimè scriptura demonstret Ozam morte damnatum, qui arcam Domini quasi cadentem relevare voluit, quam vel contingere illicitum ei fuit.

**I V.**

Occasionem etiam & fomitem, unde ordo ecclesiasticus & canonica forma atque monastica religio sæpe à longè superiori tempore, cum minus religiosos Principes habuit, titubavit, & penè conlabens deperit, & iterum, cum devotos & in Dei zelo ferventes Principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit & vigorem recepit, atque sui processus tempore ambulavit, (quod non sine gravi dolore & metu ultionis divinae dicimus) in vestri regiminis tempore in destructionem, non in ædificationem, sicut Paulus docuerat, accidisse conspiciamus. Quod & nostris peccatis, qui dispensatores & pastores Ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus, & eorum, quorum factione res ista adeo malè pullulavit & excrevit, alia præcedentia peccata hoc meruisse pro certo auctoritate divina cognoscimus. Ut qui nocebant, sicut scriptum est, noceant adhuc, & qui in fordibus erant, fordescerent adhuc, unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, & sanctos, quos intercessores pro suis peccatis habere debuerant, inensos haberent, & sacerdotes ac viros religiosos, seu Christi pauperes, quos oratores & reconciliatores sibi de suo

2. Reg. 6.

1. Cor. 13.

Apoc. 12.



promereri necesse fuerat, proclamatores adversum se fieri irritarent, & ad cumulum suorum peccatorum etiam illa peccata, unde in conspectu Dei rationem in die terribilis iudicij redderent, & auferrent, quae illi commiserunt qui eadem ipsa peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt quas ecclesiasticarum rerum pervasores inconsultè & in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse ut dicimus Dominus

Osec. 4. protestatur dicens: *Peccata populi mei comedunt.* Peccata enim populi comedunt

qui contra auctoritatem divinam res ecclesiasticas indebitè pervadunt, & nec intercessionis ope, nec praedicationis consilio, vel quocunque divino auxilio pro peccatis eorum qui eas dederant laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire permittunt. De quo periculoso facto vos, Christianissimi Principes, venerabiliter admonemus, & devotissimè obsecramus ut memores salutis vestrae, praesentis scilicet & aeternae, memores etiam largitatis progenitorum vestrorum erga sanctas Ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt & sibi contrarios superaverunt, memores siquidem cum

Gen. 47. quanta religione etiam ante Christi sanguinem, & in tempore famis in Aegypto, discretionem sancti Ioseph apud nefandum Regem Pharaonem terra sacerdotalis extitit, innumera quoque scripturarum exempla, ut lacte Ecclesiae nutriti, & scientiae ipsius uberibus sufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Christi, qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocius reconsuete & refarcite, & nec violenta ablatione nec inlicitorum praceptorum confirmatione res ab Ecclesiis vobis ad tuendum & defendendum ac propagandum commissis auferre tentate: sed ut sanctae memoriae avus & pater vester eas gubernandas vobis fautore Deo dimiserunt, redintegrate, & praecipua regalia earundem Ecclesiarum conservate ac confirmate. Ne sicut intentavit Samuel Propheta ad Roboam filium Salomonis in confissione pallij, praesens regnum, quod ab sit, vobis patrum labore acquisitum & hereditate relictum, a vobis ipse Christus dividat, & aeternum regnum, quod promissit, non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies consideretis: quia si ad tempus illis displicueritis, cum vos Deo placebitis, in vobis ille quod pro-

1. Reg. 11.

misit implebit: *Cum placuerint*, inquit, *Prov. 16. Domino via hominis, omnes inimicos ejus convertet ad pacem.* Quod ut commodius valeatis implere, uniuersique vir ecclesiasticus & intercessionis adiutorium & solatij, quo res publica indiget, subsidium juxta quantitatem rerum Ecclesiae sibi commissae, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, promptè & ex animo parare & impigrè, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.

V.

Et quia sancta Ecclesia in area triturae dominicae docta quaedam novit redarguenda, quaedam dissimulanda, quaedam etiam gemenda usque ad tempus perferenda, perspeximus eo ferventiori zelo quo majora corrigenda sunt vestram potestatem & sacerdotalis consilij auctoritatem quaedam ad praesens ex assè non valere corrigere. Et ideo de Canonico monasteriis & sanctimonialium quae sub eadem forma vivere dicuntur consideravimus, sicut Apostolus Paulus dicit, *secundum indulgentiam, non secundum imperium,* ut si propter imminetent reipublicae necessitatem laicis interim committuntur, Episcopi providentia, in cujus parrochia consistunt, adjuncto sibi aliquo Abbate viro religioso, studeatur qualiter restauratio locorum, & studium ac custodia officij & religionis, atque subsidium temporalis necessitatis, in eisdem locis degentibus juxta qualitatem & quantitatem moderationis adhibeatur & ministretur, & qui eadem loca tenuerint, eis inde sicut & de aliis Christianae religionis negotiis pro Christi & vestra reverentia obediatur. Quod si quis non fecerit, provisorum curae erit ut ad vestram hoc notitiam referant, & vestra dominatio, secundum sibi à Deo commissum ministerium, pro modo culpae quae emendanda sunt corriget. Per loca etiam monastica ejusdem ordinis provisorum necesse erit disponere, cum vestra auctoritas eos qui vices Christi secundum regulam divinitus dictatam in monasteriis agant studuerit ordinare.

V I.

Petimus tandem ut ordo ecclesiasticus, in quibuscunque ei fuerit necesse rigorem salutis humanae exerere, per potestatem vestram & per ministerium ministrorum dominationis vestrae secundum antiquam consuetudinem suam vigorem recipiat, & populi generalitas una cum ecclesiastica



devotione iudicium, quod honor Regis diligit, & iustitiam, qua thronus ejus firmatur, per dispositionem vestram suscipiat; seu admonitione atque consilio sacerdotali vestra sublimitas, & quisque in quolibet statu vel ordine, de rapinis & ceteris, quæ discordiæ malo acciderunt, præteritis erroribus penititudinem gerat, & Domini reconciliationem exposulet.

Quam facile omnis qui quaesierit inveniet, si in loco discordiæ plantata fuerit caritas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, eumque potius quam nos in consilio, non nostro, sed Dei attendatis, qui dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Luc. 10. Matth. 10.

### TITVLVS III.

#### Concilij in Verno palatio.

#### CANONES CONCILII IN VERNO PALATIO

*habiti, ubi presedit Ebroinus Pictavorum Episcopus, & Venilo Senonum Archiepiscopus, necnon & Hludouicus sancti Dionysij Abbas, & Hincmarus post Remorum Episcopus, anno quinto regni Domini nostri Karoli filij Hludouici Imperatoris, mense Decembrio, Indictione septima.*

**G**Ratias omnipotenti Deo referimus, inclyte Rex Karole, nos Episcopi & ceteri fideles qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus, quod deposita discordia, unde tot mala processerunt, quæ & enumerare longum est, & declinare adhuc impossibile, redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam & natura vobis & religione debetis; in qua ut semper maneatis per Christum, qui pax nostra est, obsecramus; ut qui maximas res vestras discordia penè dilapsas videtis, concordia & fido adiutorio relevatas citò aspiciatis. Cedendum est enim Deo, de quo verissimæ continent litteræ: *Potestatem habet Excelsus in regno hominum, & cuiuscunque voluerit dabit illud.* & qui dignatione mirabili pollicetur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ceterum quia eodem Deo inspirante dignati estis jubere ut de statu Ecclesiæ, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremus, in nomine & adiutorio ejus, quæ communi deliberatione reperimus, celsitudini vestræ ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim nos justos approbare contendimus. consideratione conscientia nostræ illud Hieremiæ suppliciter dicamus: *Misericordia Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.* Sed ad Deum reverti & vos nobiscum trahere meditantes, officium nostrum exequimur cunctis adquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostra sed illius auctoritate loquimur qui ait: *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Absit autem ut in vobis impletur quod sequitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Daniel. 4. Matth. 5. Thren. 1. Ioan. 8.

#### CAP. I.

**I**Taque vos primò convenimus, ut quia vestra probitas cunctis vobis potest prodesse subjectis, cultum Dei rebus om-

nibus præferatis. Namque ipse dicit: *Qui glorificant me, glorificabo eos. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Præterea misericordiam & iudicium atque iustitiam